




Dissertatio juridica inauguralis de vectoribus

<https://hdl.handle.net/1874/312636>

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

VECTORIBUS.



151

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

V E C T O R I B U S,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI VAN HALL,

ORD. LEON. NEDERL. EQUITIS, ORD. CONON. QUERN. DECURIONIS,

JUR. ROM. ET MOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

NICOLAUS HENRICUS VAN NES VAN MEERKERK

Haganus.

A. D. XXVII MENSIS JUNII ANNI MDCCCLV, HORA III.



TRAJECTI AD RHENUM,
APUD J. G. BROESE.

MDCCCLV.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PIAE MEMORIAE OPTIMI PATRIS,

NEC NON

VIRO AMPLISSIMO

JACOBO GERARDO VAN NES,

ORD. LEON. NEDELL. EQUII,

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORI, ORDINIBUS GENERALIBUS QUONDAM ADSCHIPTO,

PATRUO AESTUMATISSIMO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

THE NATIONAL BUREAU OF STANDARDS

THE BUREAU OF STANDARDS

REPORT OF THE NATIONAL BUREAU OF STANDARDS

The National Bureau of Standards is a Federal agency that is responsible for the development and maintenance of the United States' system of measurement. It is the primary authority for the definition, realization, and maintenance of the units of measurement used in the United States and for the dissemination of the standards of measurement to the rest of the world.

The Bureau's work is carried out in a number of fields, including physics, chemistry, and engineering. It is also responsible for the development and maintenance of the National Institute of Standards and Technology (NIST) system of measurement. The Bureau's work is essential for the accuracy and consistency of measurements in the United States and for the international system of measurement.

S Y N O P S I S.

§ 1.

Vector quid. De nomine *Vector*. De quibus vectoribus hic agatur, de quibus non. Quid in fluminibus vel fretis internis.

§ 2.

Contractus natura, forma. Antiquitus vulgo arrha dabatur. An hodie per testes probari possit. Quare vector ex lege nostra jus suum cedere non possit.

§ 3.

De naulo, an stipulari debeat. Quid de eo jure nostro. An cibus vel pastus nauli pactione contineatur. An non tacita pactio contraria praesumi possit.

§ 4.

De mora vectoris. Num excusari potest, puta valitudine? Quid de mora magistri. Quid jure nostro. Quid est navis ad navigandum parata.

§ 5.

De vectore mortuo: *a.* ante coeptam navigationem, *b.* post eam. Quid si non coepta navigatione, in navi moritur. Dubitatio Juris Romani in L. 10 D. de Lege Rhodia. Cur tam diversum. Cur omissa sit

haec quaestio in lege Borussica. Quid jure communi statuendum. Regula de casu praestando in L. 61 § 1 D. *locati*. Num aliter in L. 38 § 1 D. *eodem*. De sepultura. De funeris impensis, et de funeraria actione. Quando mortuum ejicere liceat. De rebus vectoris mortui. De testamento vectoris.

§ 6.

De partu in navigatione nato.

§ 7.

De navigatione cessante propter vim majorem. Quid jure communi. De naufragio. Quare hodie secus. Quid si navis ex necessitate reficitur, *a.* de naulo, *b.* de pastu.

§ 8.

De disciplina in navi servanda. An vector vim hostilem repellere debeat. An exantlare urgente periculo. Quid, si urgente periculo navim relinquere velit.

§ 9.

De rebus vectoris: *a.* in custodia ipsius, *b.* in custodia magistri.

§ 10.

De jure retentionis, pignoris vel privilegii.

APPENDIX JURIS PUBLICI.

De his quae propter salutem migratorum publice provisae sunt.

I. Apud nos.

II. In Anglia.

a. Lege generali GEORGII III.

b. Lege speciali GEORGII IV, de his qui Anglorum loca Americana petunt.

Comparatio cum lege nostra.

De legum impotentia.

DE VECTORIBUS.

§ 1.

In Codicis nostri Mercatorii libro secundo, Titulo V, Sectione V, exstat rubrica: de vectoribus qui peregre navigant: *van passagiers op buitenland-sche zeereizen*, praecepta quaedam continens tam vectoribus, quam magistro et exercitori navis observanda. Similis quidem rubrica in Codice Mercatorio Gallico non invenitur, sed in jure Borussico 1) nonnulla de ea re statuuntur, quod jus legislatorem nostrum in ordinanda hac parte Codicis Mercatorii nostri ante

1) *Preus. Landrecht* 2. 8. § 1742—1765.

oculos habuisse, passim apparet. Ad antiquiores fontes pertinet vetus juris maritimi corpus, quod vulgo nominatur (non quidem ex vero) CONSOLATO DEL MARE, in quo paucis capitibus de nostro argumento agitur. E scriptoribus, qui hanc rem tractarunt, memorandi sunt VALIN commentarii auctor in Franciae legem anni 1681, quae ordinatio maritima appellatur, tom. I; MENNO PÖHLS, Seerecht 1 pag. 367—376; maxime vero HOLT, qui de ea uberius agit in opere cui titulus est A system of the shipping and navigation laws of Great Britain, pag. 123—130.

Vectores dicuntur, qui in aliena nave navigant, pro corporis sui vectura naulum praestantes ¹⁾). Nomen autem vectoris bonae Latinitatis est vocabulum, tam activam quam passivam significationem habens. Ceterum hic tantum sermo est de vectoribus in cursu maritimo externo, sive in navigatione maritima, quae imperii fines egrediatur, item de his, qui ex art. 748 Cod. Merc. similes habentur, hoc est;

1) MACCULLOCH. Dictionary of Commerce, in voce PASSENGER.

Secundum CONS. DEL MARE non est vector, qui ultra certam quantitatem honorum, cap. CXI definitam, in navi habet.

qui peregrinam navigationem cum domestica conjungunt, quales ex art. cit., licet cursus maritimus non sit, in universum pro re nata eodem jure utuntur, quo vectores maritimi tantum, salvis tamen statutis et decretis hujus navigationis causa latis. Non vero de iis agitur, qui per sinus vel freta interna tantum iter faciunt, ad quos pertinent ea, quae in Tit. 5. lib. 1. Cod. M. et in Tit. de Locatione et Conductione. Cod. Civ. inveniuntur, eaque praeterea statuta et decreta, quae hujus navigationis causa peculiariter lata sunt, quae si deficiunt, vel in casu proposito adhiberi non possunt, mores et consuetudines locorum observari debent. Aliter hac de re jure Borussico statutum est, secundum quod utrumque vectorum genus eodem prorsus jure utitur.

§ 2.

Qualem legislator contractum inter exercitorem, magistrumve navis et vectores haberi velit, manifeste jam patet ex vocabulo in art. 521. Cod. Merc. *vervoergeld*, est nempe locatio operarum; operae enim mercede aliqua locantur a magistro navis, qua-

les operae vehendo vectore ab uno in alium locum praestantur. Etiam jure Gallico contractus pro locatione operarum haberi potest per art. 1779. n^o. 2. Cod. Nap. Non autem hic contractus est locatio rei, nam loca in nave vectoribus occupanda ad substantiam contractus non pertinent; non magis quam cibus a magistro vectoribus praestandus, cujus praestatio est emptio-venditio, quae nauli pactione non continetur, si non vector id specialiter pactus est 1). Neque contractus est locatio operis; hoc enim primo adversaretur usui loquendi et strictiori significationi, qua vocabulum *opus* vulgo et apud nos et apud veteres accipitur, nam tantum usurpatur, ubi sermo est de domo aedificanda vel de pariete faciundo; secundo *opus* construendum, quod quis locavit, divisionem non patitur; pro parte enim construi non potest, quod si non plane a conductore perfectum erit, nil debebitur; sin vero vectores vel merces transvehuntur, omnino fieri potest ut, navigatione cessante, naulum debeatur pro ratione itineris peracti 2).

1) Cod. Merc. art. 530 et *Preus. Landr.* 2. 8. § 1748.

2) Cod. Merc. art. 478 al. 3, art. 480, art. 483 et art. 525 al. 1.

De contractus forma quaestio oritur, num scriptura ita necessaria sit, ut sine ea, exclusa probatione per testes, contractus probari non possit, uti obtinet, quando tota navis vel pars ejus locata est, vel quando merces singulatim vehendae accipiuntur. Mihi scriptura necessaria esse non videtur, sed ad contractum probandum probatio per testes sufficere. Nam jure mercatorio nostro, quando scriptura probandae alicujus rei causa non nominatim requiritur, neque alius probandi modus specialiter praescriptus est, probatio per testes in rebus mercatoriis semper admittitur, nulla ratione habita generis vel quantitatis rei, quae probanda sit ¹⁾. Est autem exceptio, si contractus jure mercatorio per testes probari non potest, qualis exceptio ad nostrum etiam contractum contra juris mercatorii rationem produci non debet, scilicet quoniam in exceptionibus cessat analogia. Aliter jure Borussico, ubi scriptura quidem necessaria est, ut obligatio inter magistrum et vectorem oriatur, sed si, conventionem cum magistro verbis facta, vector navigationem peregit, re contracta obligatio intelligitur, ita ut, itinere peracto, vector ma-

1) Cod. Merc. art. 1 al. 1.

gistro vel exercitori obligatus sit. Ex ipsa igitur conventionem verbis facta nulla eo jure oritur obligatio 1). Universe autem jure Borussico scriptura requiritur, ut obligatio ex contractu oriatur, si nempe objectum contractus excedit certam summam (50 *Thaler*) lege definitam 2). Secus jure nostro, quo, salvo onere probandi, etiam nuda pacta vim obligandi habent praeter nonnullas exceptiones 3), neque scriptura vel alia forma requiritur 4).

Sunt qui dicant, contractum nostrum non esse factum mercatorium: quod mihi probandum non videtur, quum sit species contractus de navi oneranda, qualis in art. 4 n°. 7 Cod. Merc. inter facta mercatoria numeratur. Praeterea ex Titulo Cod. Merc. de tollendis obligationibus in commercio maritimo (*over het te niet gaan van verbindtenissen in den zeehandel*) patet legislatorem nostrum ita judicasse, quoniam in eo titulo, art. 741 n°. 4 debita vectorum dicuntur annua praescriptione perimi. Ceterum, utrum contractus factum mercatorium sit nec ne,

1) *Preus. Landr.* 2. 8. § 1745.

2) *Preus. Landr.* 1. 5. § 131.

3) Cod. Civ. art. 202, art. 203, art. 1719 et art. 1720.

4) Cod. Civ. art. 1355.

otiosa quaestio habenda non est, nam, si non esset factum mercatorium, probatio per testes non admitteretur, si naulum majus esset summa trecentorum florenorum ¹⁾. Antiquitus vulgo arrhae dabantur, uti novimus ex CONSOLATO DEL MARE cap. CXIV, ubi legitur: arrha data, omnia promissa praestare debere magistrum navis. Illae arrhae non tantum probationis causa dabantur, verum etiam poenales erant, nam secundum cap. cit. magister arrham non reddebat, si vector opportuno tempore non erat in nave, et magister sine eo solvere instituerat. Eodem modo in CONSOLATO DEL MARE statuitur hoc casu magistrum non teneri vectori reddere, quod ex naulo praecipisset; ex quo sequitur vectorem, qui in mora esset, tum non fuisse obligatum ad totum naulum solvendum, sed tantum id, quod ante coeptum iter solvisset, repetere non potuisse. Contractu perfecto, ex nostra lege vector jus suum cedere alteri non potest sine consensu magistri ²⁾; in lege vero Borussiae hoc expressis verbis prohibitum non est. Multum autem magistri interest, quales vectores sint,

1) Cod. Civ. art. 1933.

2) Cod. Merc. art. 523.

quos in navem recipiat, et facile fieri potest ut hunc vectorem in navem recipere velit, illum nolit. Ob eandem causam idem nostro jure statutum est de sublocatione aedium ¹⁾. Ceterum est exceptio regulae generalis: *aliquem non tantum sibi ipsi stipulari, verum etiam heredibus et causam habentibus, sive iis, ad quos jus ejus pertinet*. Attamen, si vector moritur, ejus jus non ceditur, sed ipso jure ad heredes pertinet, unde quaestio oriri potest, num loco defuncti heredes ejus navigationem sive cursum maritimum incipere possint. Vectore mortuo, jus ejus sponte inter heredes dividitur, quum nomina ipso jure scindantur, sed nemo pro parte navigare potest, et si, divisione hereditatis facta, vectoris jus in unius heredis parte computatur, ceteri huicce uni suas partes cesserunt, quod nostra lege prohibitum est. Enimvero, etiamsi vector unum tantum heredem relinquit, probabile non est heredem loco defuncti jus navigandi habere, quoniam Cod. Merc. art. 524 nominatim statuit, vectore mortuo, antequam coepisset navigatio, ex dimidia parte naulum deberi, et quoniam art. cit. heredi facultatem non dat, ut, altera

1) Cod. Civ. art. 1595.

dimidia parte nauli soluta, navigationem loco defuncti suscipiat; aliis verbis: si vector ante inceptam navigationem mortuus est, ejus heredi nostra lege optio non est, utrum dimidiam partem nauli solvere malit et non navigare, an vero, integro nauulo soluto, cursum maritimum loco defuncti suscipere. Ob has rationes disputatio de lege et de littera legis affirmanti sententiae magis adversatur. Lege seposita, juris ratio quoque non alia dictare videtur: scilicet quia, ut diximus, aliud est Titium recipere, aliud Maevium, aliud masculum, aliud feminam, aliud humanum hominem, aliud morosum, et, qui de certo homine contraxit seu dando, seu vehendo, generaliter de quolibet alio contraxisse non intelligitur. Dum copia est exercitores adeundi, magister suo Marte cum vectoribus contrahere non potest, non magis quam illa facultas magistro data est in tota nave vel parte ejus locanda ¹⁾. Generale tamen mandatum hic sufficit eodem modo, uti hoc obtinet, si merces per sarcinulas vehendae recipiuntur, quo casu non toties exercitorum consensu magistro opus esse videtur, quoties singula dolia vel saccos vehenda recipiat.

1) Cod. Merc. art. 371. *Preus. Landr.* 2. 8. § 1750.

§ 3.

Num naulum magister stipulari debet? Jure Romano, si non stipulatus est naulum, itinere peracto, magister contra vectorem praescriptis verbis agere potest ad interesse petendum ¹⁾. Vectura enim aestimari potest et magistro tunc actio praescriptis verbis competit contra vectorem ad hanc aestimationem persequendum. Est nempe jure Romano contractus innominatus *facio ut des* inter magistrum et vectorem interpositus. Proprium quidem est huic contractui jure Romano, ut poenitentiae locus sit, enimvero in casu proposito id contingere non potest, magister enim munere vehendi functus quomodo repetat? quodsi vector naulum solvit aut partem nauli, is certe non potest repetere, quia tum vulgaris locatio est, in quo contractu non est conditio ex poenitentia. Nec magis est quod in casu priore a conventionem recedatur, quia contractus innominatus nuda conventionem non potest fieri. Ceterum jure nostro, etiamsi naulum magister stipulatus non sit, manebit

1) § 1. Institut. *de loc. et cond.* L. 22. D. *de praesc. verbis.*

tamen contractus locationis et conductionis, solummodo iudex naulum hoc casu aestimare debet, peritis pro rei necessitate consultis 1). Idem etiam dicendum jure Borussico, quo jure tamen, ut ante vidimus, requiritur, ut contractus scriptura contineatur 2). Tum vero in computando naulo attendendae erunt pactiones, quas vector fortasse fecerit de conditione et copia, puta ut lautius, largiusve naviget, sibi impartienda. Jure mercatorio nostro igitur non magis poenitentiae locus est, quam si specialiter naulum stipulatus esset magister. Ceterum illud congruit cum jure civili nostro, quo salvo onere probandi etiam nuda pacta vim obligandi habent 3). Quod secus est jure Romano, ubi valet regula *pactum nudum neque obligationem neque actionem parit* 4).

Nisi contrarium stipulatus est vector, cibus vel pastus nauli pactione, tam jure nostro quam Borussico, non continetur 5). Attamen, urgente necessi-

1) Cod. Merc. art. 321.

2) *Preus. Landr.* 2. 8. § 1745.

3) Cod. Civ. art. 1355.

4) PAULI rec. sent. 2. 14. § 1. L. 45. D. *de pactis*. L. 15, f. D. *de praescriptis verbis*.

5) Cod. Merc. art. 530. *Preus. Landr.* 2. 8. § 1748.

tate, magister vectoribus aequo pretio cibum praestare debet; ab altera parte vectorum et nauarum cibaria, si penuria est, magister ad communem usum revocare potest, dummodo pretium solvat ¹⁾). Igitur, necessitate urgente, et vectores et magister utrimque sibi cibaria praestare debent jure nostro et jure Borussico. Quale officium tamen magistri et vectoris jure Borussico certis limitibus circumscriptum est, eo enim jure magister ab una parte tantum cibaria vectori praestare debet ad vitam conservandam necessaria, et vector ab altera parte ea tantum cibaria magistro praebere debet, quae ex abundantia habet ²⁾).

Jure CONSULATUS verosimile non est vecturae pactione cibum vectoris etiam contineri, quum in cap. CXIV tantum scriptum sit, magistrum teneri ad aquam vectori praebendam, eique locum in navi concedendum. Facile tamen mihi videtur contrarium ex pactione tacita praesumi posse, ut cibus nauli pactione contineatur, licet vector hoc nominatim

1) Cod. Merc. art. 530 et art. 374. *Preus. Landr.* 2. 8. § 1753, in voce »nothdürftigen.»

2) *Preus. Landr.* 2. 8. § 1755, in voce »entbehrlichen.»

non expresserit, si scilicet magister naulum majus stipulatus est, quam quod vulgo pro tali itinere dari solet, quum nauli summa vulgo pro temporis modo cujusque navigationis aestimari soleat. Nimirum quidni in hac re idem locum habeat, quod in vectura mercium fieri videmus, quae consuetum et quasi nundinale vecturae pretium pro genere cujusque, pondere et amplitudine in quaque navigatione habent ¹⁾? Si igitur modum excedit conventio, credendum est potius hyperocham pro cibariis promissam esse, quam vectorem dolo magistri circumventum. Eodem modo, quando plures cum magistro contraxerunt, ut constituto naulo etiam cibum praestaret, praesumendum est alium postea, eodem naulo constituto, perinde contraxisse, ut cibus sibi praebetur, licet hoc nominatim pactus non sit.

§ 4.

Si vector non in navi praesto est vel navim relinquit sine consensu magistri, cum navis ad navi-

¹⁾ Cod. Merc. art. 60. Cod. Merc. Gall. art. 80. MENNO PÖHLS. Jus marit. III. II. § 413.

gandum parata est, magister vela dare potest et nihilominus integrum naulum ab eo petere ¹⁾. Navis dicitur stare ad navigandum parata, quando magister omnibus instrumentis publicis et privatis munitus est, quae proprio jure locorum et communi maritimo ad justam navigationem requiruntur ²⁾.

Secundum Consulatam magistrum tunc arrham datam, vel, quod a vectore solutum sit, retinere, non vero a vectore naulum, aliamve indemnitate[m] petere posse, antea vidimus ³⁾. Verum quod jure nostro et jure Borussico constitutum est, congruit cum jure communi, nam, si magno aliquo casu prohibitus est, id eum contracta obligatione liberare non potest, cum suam calamitatem ipse ferre debeat, non aliis imponere, ut in jure Romano exemplum declarat ejus, qui, cum merces imposuisset, et onus impositum commisso tolleretur, tamen vecturam solvere debuit ⁴⁾. Hoc tamen loco rogare velis, cur

1) Cod. Merc. art. 522. *Preus. Landr.* 2. 8. §§ 1746, 1747.

2) Cod. de modo proced. in caus. civil. art. 582. Cod. Merc. art. 357 et art. 471.

3) CONSOLATO DEL MARE cap. CXIV.

4) L. pen. f. D. *locati*.

igitur, qui merces singulatim vehendas imposuerit, contractui renunciare possit, nulla indemnitate data ¹⁾, vector vero totum naulum solvere debeat. Ratio differentiae est, quod facilius est magistro vel exercitori singulas merces vehendas accipere quam vectores, inprimis, ut est in hypothese, quando navis ad navigandum parata est, magistro rite instructo; etiam qui, tota nave vel parte ejus conducta, a contractu recedit, is omnino exercitori indemnitate plenam aut semiplenam praestare debet ²⁾. Verbum tamen *zeilree* in art. 522 Cod. Merc. non nimis premendum est; nam, etiamsi navis nondum ad navigandum parata est, tamen, si vector a contractu recedit, nihilominus integrum naulum solvere debet; id enim cum jure communi, cui nusquam specialiter derogatum est, congruit, atque sequitur ex art. 523 et art. 524 Cod. Merc. Nam si vector, navi nondum ad navigandum parata, contractui a se inito renunciare posset, irritum redderet art. 523 Cod. Merc., quo articulo prohibetur, quominus vector sine consensu magistri jus suum

1) Cod. Merc. art. 473 et art. 522.

2) Cod. Merc. art. 464, art. 465 et art. 467.

alteri cedat. Praeterea, si secundum art. 524 Cod. Merc. mors vectoris ante cursum maritimum susceptum a dimidia parte nauli solvenda tantum liberat, verosimile non est, vectorem plene liberari, quoties ei commodum non eveniat navigationem suscipere. Praeterea nostra lege morae vectoris nulla justa, ne valitudinis quidem, excusatio est. Fateor tamen posse in contrariam partem disputari: nam dici potest legislator non imprudens sed, data opera, atque *τεχνικῶς* verbo zeilree usus esse, cum, nave nondum parata, major copia sit alios vectores inquirere, eandem navigationem desiderantes, ac durum legem, praesertim favente littera legis, benignius interpretari oportere. Accedit, quod jure Borussiae integrum quidem naulum solvere debet vector, etiamsi ob valitudinem, aliamve gravem causam recedat, cursumve maritimum non peragat, verum ita, si impedimento aliqua vectoris culpa accedat 1): liberatur igitur vector eo jure, si probare potest, se plane omni culpa vacare. Quid autem vetat nos per interpretationem eodem jure uti? Quare concludo quaestionem hanc non omnino finitam esse,

1) *Preus. Landr.* 2. 8. § 1759.

sed peritorum doctrinae, et judicantium auctoritati locum superesse.

Non apprehenditur lege nostra quaestio, quid juris sit, si magister a sua parte a contractu recedit, quae verosimiliter legislatori nostro satis gravis visa non est, ut eam decideret; igitur jure communi quaestio illa dirimenda est, quo jure vector a magistro, qui contractui renunciat, id, quod interest petere potest ¹⁾. Si magister in mora est vel quolibet modo contra contractus legem, quem cum vectore fecit, peccat, ad damnum resarciendum vectori tenetur ex art. 470 Cod. Merc., qui articulus agit quidem de mora magistri erga conductorem navis, sed tamen ex analogia ad nostram etiam quaestionem referri potest. Praeterea, si indemnitatem a magistro vector consequi vult, requiritur ut, per magistrum stetisse quominus navigaret, suaque interesse probet.

§ 5.

Si vector ante coeptam navigationem moritur, nos-

1) Cod. Civ. art. 1275.

tro jure naulum ex dimidia parte debetur ¹⁾. Navigatio dicitur coepta esse, simulac navis solvit a loco, ubi primum merces in eam imponi coeperunt, vel ubi non onusta navis saburra gravari instituit ²⁾. Quodsi nauli pactione etiam cibus continetur, judex naulum aestimare debet peritorum arbitratu, si opus est ³⁾. Hoc enim casu, ut nauli summa bene secerni possit, requiritur ut cibi pretium a tota pecunia, quam magister stipulatus est, detrahatur. E verbis tamen art. 524 Cod. Merc. redit judicem etiam aliter statuere posse, quod aequum est, nam fieri potest, ut magister cibum jam emerit, quo facto indemnitate praestari magistro oportet; semper autem praesumendum est magistrum cibum emisse, si vector, navigatione jam suscepta, mortuus est. Praeterea est casus ad vectorem pertinens, sive ipsius calamitas, ex qua igitur magister damnum pati non debet. Ex eo, quod dimidia pars nauli solvenda est, quando vector ante coeptam navigationem mortuus est, sequitur, ut integrum nau-

1) Cod. Merc. art. 524.

2) Cod. Merc. art. 462.

3) Cod. Merc. art. 524, al. 1.

lum solvendum sit, si, navigatione jam suscepta, vector mortuus sit. Universe hoc non congruit cum art. 525 Cod. Merc., nam vector, si vi majori puta morte prohibetur, quominus iter suscipiat, vel ad finem perducatur, dimidium vel integrum naulum solvere debet, quum contra secundum art. 525 magister et vectores plane liberati sint, ita, ut unus alteri nullam indemnitate[m] debeat, quando vi majori vel aliam ob causam sine culpa magistri vel exercitoris navigatio cessat. Cursu igitur vi majori vel casu ex parte magistri interrupto, nulla indemnitas debetur; debetur vero, si idem locum habet ex parte vectoris. Attamen universo juri maritimo id probe consonat; etenim ruptum iter, ut cessans navigatio appellatur, saepenumero temperamentis locum facit, quorum vis est ob eam rem a contractu ex toto aut ex parte, aliquo modico dato, recedere licere ¹⁾. De affini quaestione jure Romano dubitatio est in L. 10 D. *de lege Rhodia*, quum in lege citata LABEO et PAULUS dissentiant, quorum ille pro mancipio in nave mortuo vecturam non deberi opinatur, contra quam ex nostra lege redeat; PAULUS vero

1) Cod. Merc. art. 411 et art. 635.

aliter disputat: quaerendum esse quid actum sit, utrum pro impositis an vero pro deportatis mancipiis vectura vel merces danda esset; quodsi hoc non appareat, nautam vecturam petere posse, dummodo probaverit mancipium in navem impositum esse. PAULI autem opinio melior est, et congruit cum doctrina de casu praestando in locatione operarum. Nam non sufficit aliquem dicere: per me non stetit quominus impleretur obligatio: sed ante omnia quaerendum est, utri (locatori an conductori) casus acciderit, ad quem casus pertineat: nam, quando cui calamitas contingit, nullo jure effectus ejus damnosus in alterum rejicere potest. Sic conductor in L. 61. § 1. D. *locati* integrum naulum solvere debet pro mercibus, quae transvectae non erant, quoniam a publicanis ex nave erant ablatae, qui casus in lege citata conductori, non vero locatori evenit. Improbanda enim est MÜHLENBRUCHII opinio statuentis, creditorem casu onerari, quoties per debitorem non steterit, quominus impleretur obligatio 1). Provocat auctor, quo suam sententiam defendat, ad L. 4. § 13. D. *de extraord. cognit.* et ad L. 38. § 4.

1) Doctrina Pandectarum. volum. 2. § 365.

D. *locati*, ubi legimus advocatum vel ejus heredes non teneri, ut honorarium reddant, si per eos non steterit, quominus causam agant; sed non animadvertit honorarium non esse in obligatione aliqua, neque peti actione, sed jurisdictione tantum contineri extraordinaria, ideoque ex eo exemplo non posse effici, quid obligatio contracta afferat. Praeterea honorarium species donationis est, quare advocati vel ejus heredes honorarium reddere non debent, cum donata non repetantur. Neque magis L. 19. § 9. D. *locati* hujus auctoris sententiae favet, nam heredes in hac lege totius anni mercedem solvere debent, quia calamitas ibi non pertinet ad exceptorem sed ad administratorem, cui exceptor suas operas locaverat. Praeterea MÜHLENBRUCHII sententiae etiam obstat L. 15. § 6. D. *locati*, ubi scriptum est: nave amissa, naulum repeti posse; amissio enim navis calamitas est, quae locatori contingit. MÜHLENBRUCHIUS l. c. in nota 10 argumentum ex L. 15. § 6. D. allatum evitare conatur dicendo in lege citata de duabus obligationibus sermonem esse, nempe de locatione et mutui datione, verba captans *quam pro mutua acceperat*, et ideo mercedem ea lege repraesentari, ut, donec praestitum sit factum, crediti

loco pecunia sit penes accipientem. Enimvero verba in lege citata *quam pro mutua acceperat* tantum significant antea solutionem factam jam esse, sive magistrum naulum praecepisse; deinde ratio, quae redditur verbis *cum munere vehendi functus non sit* omnia alia testificatur. Integrum igitur naulum solvendum esse, si, navigatione jam suscepta, vector mortuus sit, juri communi congruum est ¹⁾; nam mors vectoris est casus vel calamitas, quae ad vectorem, non vero ad magistrum pertinet, quam vector igitur ipse ferre debet. Et benevola exceptio est in Codice Mercatorio nostro in gratiam vectoris, tantum dimidiam partem nauli solvendam esse, si, navigatione nondum suscepta, in rebus humanis esse desinat. Quae tamen dimidia pars debetur, quamquam magister alium vectorem loco mortui accipit, imo multo majus naulum consequitur. In Consulatu Laeonis, ni fallor, sententia, quae est in L. 40 D. de *Lege Rhodia*, admittitur, nam, ut ante vidimus, magister non tenetur, ut id, quod a vectore acceperit, reddat, si vector in mora est, et sine eo

1) STRACCA. *de navibus*. part. 3. n^o. 17—21 et STYPMAN, *jus maritimum*. pars. 4. cap. 10. n^o. 44—55.

navigatio suscepta, sed tunc naulum nondum solutum petere non potest magister; a fortiori igitur idem statuendum est, si vector ante susceptam navigationem mortuus est ¹⁾. Etiam in Consolato quidem legimus, vectoris in navi mortui optimam vestem gubernatori, lectum vero et aliam vestem magistro cedere, sed nullibi scriptum est vectoris, navigatione jam suscepta, mortui integrum naulum, vel pro rata itineris peracti parte, deberi ²⁾. Ceterum in lege Borussica tota haec quaestio omissa est, quia regula generalis in ea lege scripta est, qua etiam quaestio nostra dirimitur. Secundum eam regulam potest magister, vectore mortuo, naulum petere ratione itineris peracti ³⁾. Attamen distinguendum est jure Borussico, utrum vector suae mortis omnino culpa vacet, necne; priore casu naulum tantum debetur ratione itineris jam peracti, posteriore casu integrum naulum petere potest magister. Nam, ut vidimus supra, vector, qui propter morbum vel aliis ex causis navim relinquit, cursu maritimo non-

1) CONSOLATO DEL MARE cap. CXIV.

2) CONSOLATO DEL MARE cap. CXV.

3) *Preus. Landr.* 1. 11. § 886.

dum finito, integrum naulum solvere debet, si impedimento aliqua ejus culpa, etiam levissima, ansam dedit. Idem dicendum videtur, si vector morte prohibetur, quominus cursum maritimum nondum finitum ad finem perducatur.

Vectoris mortui reliquias magister vel funerare vel solemniter in fluctibus mandare debet. Utrum funus fieri possit necne, magister suo arbitratu ~~dijudicare~~ debet 1). Sin autem funus curavit, actione funeraria contra heredes mortui agere potest, ut funeris impensas recuperet. Jure Romano funeraria actio religionis causa a Praetore inducta est, ita in L. 27 D. *de cond. inst.* legimus: » Laudandus est hic, qui reliquias mortui » non in mare abjecit, sed memoria humanae conditionis sepulturae tradidit. » Eodem jure id, quod propter funeris impensas debetur, omnibus aliis debitis praefertur 2). Etiam jure nostro hoc debitum privilegiatum est, ita tamen ut impensae excussionis similesque praeferrantur 3). Actio funeraria est species negotiorum gestorum actionis, daturque,

1) Cod. Merc. art. 531, et CONSOLATO DEL MARE cap. CXVII.

2) L. 14. D. *de relig.* etc.

3) Cod. Civ. art. 1195.

licet nullus sit heres, aequae ac negotiorum gestorum actionem quis habet, etiamsi nullius negotia gesserit 1). Attamen actio funeraria ampliores fines habet quam actio negotiorum gestorum, nam etiam ei competit, qui, prohibente herede, ex necessitudine vel voluntate testatoris sepelivit 2). Etiam magister impensarum causa privilegium habet, si reliquias mortui in dolio vel cista, quod fluido spirituosum (*rum*) impletum sit, conditas heredibus tradidit, quatenus illi sumptus ad cadaver perferendum sepeliendi causa facti intelliguntur per L. 14. § 4. D. *de relig.* etc. Quod tamen sic accipiendum puto, ut dignitatis et facultatum defuncti ratio habeatur per L. cit. § 6. Nam corpora mortua promiscue aqua vita condere stulti hominis esset.

Praeterea magister curare debet, ut vectoris mortui bona, quae in navi sunt, bene serventur 3). Sunt qui dicant, in quibus *PINTO* 4), magistrum nostro jure etiam inventarium facere oportere bonorum, quae

1) L. 3. § 6. D. *de negot. gest.* et L. 1. D. *de relig.*

2) L. 14. § 13. D. *de relig.*

3) Cod. Merc. art. 531.

4) *Handleiding tot het Wetboek van Koophandel.* d. 2. § 402.

defunctus in navi reliquerit, aequae ac magistri est hoc facere cum nauta moritur, per art. 430 Cod. Merc. Quam opinionem probare non possum, propter responsum regis administri, quod invenitur apud VOORDUIN ¹⁾: quandoquidem ex eo patet legis rationem in art. 430 Cod. Merc. ²⁾, quae legislatorem impulit ut hoc magistro praescriberet in bonis nautae mortui, non adesse in art. 534 Cod. Merc., in quo praeter custodiam magistro aliud nihil imponitur. Ceterum quaestio non magni momenti esse videtur, quoniam magister, qui neglexit inventarium bonorum nautae mortui componere, nullum inde patitur damnum, quum jusjurandum in litem nostro jure non occurrat. Secundum CONSOLATO DEL MARE ³⁾ magistro custodia pecuniae, aliorumque bonorum defuncti committitur, si nullus procurator, tutor vel heres defuncti in navi adest; illa bona et pecuniam defuncti servare debet, donec eo redeat,

1) *Geschied. en Begins. der Nederl. Wetb.* tom. IX. pag. 558.

2) Mira tamen mihi videtur ratio quod magister ideo inventarium componere tenetur, ne contrectando res ex hereditate nautae ejus heredibus mercedem solvat ex ipsa hereditate, quod vix cogitari potest.

3) CONSOLATO DEL MARE. cap. CXVII.

ubi omnia cognatis, aliisque, quibus jus erit, tradere poterit. Triennio autem praeterlapso, si nemo fuerit, qui hanc pecuniam, aliaque bona defuncti a magistro petat, magister pecuniam tradere debet episcopo, ex qua preces fiant pro salute animae defuncti. Inventarium bonorum confici debere a scriba etiam in cap. CXV praescribitur; quodsi magister socordior et nullius auctoritatis homo est, cautio ab eo interponi debet.

Ut vector vel nauta, aliusve qui in nave est, testamentum facere possit, multa nostro jure remissa sunt eorum, quae alioquin ad testamentum faciendum necessaria sunt, nam requiritur tantum, ut testamentum fiat coram magistro vel gubernatore, vel qui eorum vice fungitur, praesentibus duobus testibus 1).

Ex simili causa jure Romano, inde ab AUGUSTI temporibus, codicilli invaluerunt, qui erant pars et sequela testamenti, quibus quidem hereditas neque dari, neque adimi poterat, sed poterant fidei commissa 2). Ut legata codicillis data valerent, require-

1) Cod. Civ. art. 994. Cod. Nap. art. 988.

2) Princ. et § 2. Institut. *de codicillis*. L. 6 pr. et L. 10 D. eodem.

batur, ut codicilli testamento essent confirmati; sed discrimine inter legata et fideicommissa JUSTINIANI voluntate sublato, legata codicillis data valebant, ut si confirmata essent, cum probabile sit, ut eoque JUSTINIANI confusio proferatur.

§ 6.

Quaeritur, utrum pro partu in navigatione nato naulum debeat. Veteres scriptores, in quibus CLERAC, hoc negant, sed hic malo utitur argumento »quia, ait, accessio cedit principali.” Contra disputari potest: magistrum convenisse, ut unum tantum, non vero ut duos vectores trajiceret, et partum vectorem esse, cui majores curae impendi debeant; sed jure communi invaluit, ut partus non pro vectore haberetur, neque pro eo naulum solvi deberet ¹⁾, cujus rei ratio datur in L. 19. § 7. D. *locati* »cum neque vectura ejus magna sit, neque is omnibus utatur, quae ad navigantium usum parantur.” Etiam *supercarga*, qui mercibus vehendis praepositus est,

1) STYPMAN. jus marit. pars 4. cap. 10. n°. 40—44.
STRACCA, de navibus. pars. 3. n°. 22.

pro vectore non habetur ex ea ratione, quod oneris causa in nave est, ut id tueatur; tantum pro cibo, a magistro sibi praebito, quantum aequum est, solvere debet.

§ 7.

Quando vi majori vel casu citra culpam magistri vel exercitoris sive navigatione suscepta, sive nondum inita, cursus maritimus interruptus est, magister et vectores ultro citroque sunt liberati, ita ut neuter neutri indemnitate debeat. Solummodo, si interruptio locum habet, navigatione jam suscepta, vectores magistro naulum debent pro rata navigationis. Ita in art. 525. Quod non congruit jure communi, nam in art. cit. agitur de casu vel vi majori, qui magistro evenit, quem igitur ferre debet, ita ut magister jure communi a vectore partem nauli pro ratione itineris jam peracti petere non possit; nam, ut ante docuimus ¹⁾, in locatione nulla indemnitas ei debetur, cujus ex casu vel calamitate factum est, ut operae praestari non possint; sic in L. 15. § 6. D. *locati naulum re-*

1) § 5.

peti potest, si navis, naufragio facto, periit, quippe naufragium est casus ex parte magistri, quo hic prohibetur, quominus munere vehendi fungatur, quemque suscipere conductor non debet. Nostro autem jure, naufragio facto, nullum naulum debetur, si vectores vel merces naufragio perierunt ¹⁾; si non perierunt, naulum pro parte itineris jam peracti solvendum est; qualis distinctio non est in L. 45. § 6 cit. Cursu maritimo interrupto secundum art. 525 cit. magister id, quod vectoribus dispensavit vel quod pro iis antea expensum est, repetere potest ²⁾. Quaestio est, utrum ex art. 525 vector pro rata nauli parte cibariorum pretium, an universam pecuniae summam magistro solvere debeat, si cibus vel pastus nauli pactione continetur? Sententia Judicis Pagani Amstelodamensis judicatum est, naufragio facto, naulum pra rata itineris peracti parte, cibi vero pretium integrum a vectore deberi ³⁾. Ceterum voce *verstrekt* in art. 527 nihil aliud significari credo quam cibaria a magistro vec-

1) Cod. Merc. art. 482 et 483.

2) Cod. Merc. art. 527.

3) *Regtsgel. Bijblad.* d. 8. pag. 185.

tori revera exhibita, et voce *uitgeschoten* intelligi pecuniam, quam magister vectori mutuo dederit in iis locis, ubi vector pecuniam comparare non poterat. Porro tenendum est magistrum cibaria emisse, non ut expenderet in rem vectoris sed sua causa, ut obligationi suae satisfacere posset. Nunc magister casu a sua parte prohibetur, quo minus obligationem impleat, quamobrem nullum interesse vel indemnitas ei debetur, sed solummodo pars nauli aequitatis causa ei datur. Non probanda videtur sententia Tribunalis Amstelodamensis, die 30 m. Junii anno 1844 lata, qua judicavit, vectorem naulum et cibi pretium praenumeratum repetere non posse, si, naufragio sine culpa magistri facto, cursus maritimus interruptus sit ¹⁾. Primo loco minus recte tribunal judicasse videtur verbis *zonder eenige vergoeding* in parte art. 525 Cod. Merc. significari: naulum jam solutum et cibi pretium repeti non posse, nam, si ea verba hoc sensu accipias, necesse est ut statuas, quod etiam iudices Amstelodamenses stauerunt, ne antinomia inter utramque partem art. cit. esset, partem priorem »*Indien*» art. 525 agere

1) *Regtsgel. Bijblad*, d. 8. pag. 185—187.

de casu, si cursus maritimus vi majori sine culpa magistri interruptus sit, itaque omnino lex scripta est; alteram vero de casu, si cursus maritimus alias ob causas suspenditur; in casu partis prioris art. 525 nulli calculo, nullive indemnitati inter contrahentes locum esse; in casu vero altero articuli naulum deberi pro rata itineris parte. Enimvero, si art. 525 eo sensu accipitur, pars secunda juris et aequitatis rationi vehementer repugnat. Nam si statuas, altera parte articuli non agi de interrupto itinere vi majori vel ob causam sine culpa magistri, necesse est, ut illa parte articuli de interruptione itineris culpa magistri facta agatur; si vero ob eam causam interruptio locum habuit, manifestum est, non tantum naulum pro rata parte itineris peracti non deberi, verum etiam vectorem a magistro id quod interest, petere posse ¹⁾. Multo probabilius esse credo: verbis zonder eenige vergoeding, significari vectorem ad interesse petendum contra magistrum agere non posse, ita ut a magistro petere non possit, ut damnum, quod interrupto itinere passus sit, vel ut lucrum, quod

1) Cod. Merc. art. 475.

ob eandem causam non captaverit, ei compensetur ¹⁾. Utraque autem articuli 525 parte de interrupto cursu maritimo, vi majori vel aliis de causis, sine culpa magistri, agitur. In priore parte sermo est de interruptione cursus maritimi, navigatione nondum coepta, in posteriore parte vero, sive in alinea, de eadem interruptione navigatione inchoata. Utroque casu a neutra parte, neque vectoris neque magistri, interesse peti potest; tenetur tantum vector secundum partem alteram articuli, ut partem nauli et cibi pretii magistro solvat, ratione itineris jam facti ²⁾. Postremo animadvertendum puto, si interpretatio tribunalis proba esset secundum mentem legislatorum, non bipartita articuli scriptura, sed duobus articulis rem comprehendi oportuisse. Quando navis, procedente itinere, ex necessitate refici debet, si vector exspectare vult, dum navis reficiatur, naulum non crescit, sed ex diverso ipse vector se alere debet, aut de ea re cum magistro pacisci, per art. 526, quae clausula congruit cum art. 478 »*Hij is*'' Cod. Merc., ubi idem statutum est ratione

1) Cod. Civ. art. 1282.

2) *Regtsgel. Bijblad*, d. 8. pag. 603—608.

navis, quae per aversionem conducta est. Neutra vero congruit cum natura contractus: nam vector, si convenit ut etiam cibus nauli pactione contineretur, cum magistro ita contraxit, ut conventio aleam contineret, quamobrem vector stricto jure non teneretur solvere ultra pecuniam, quae comprehensa est, quum impedimentum, v. c. refectio navis, pars et sequela sit itineris; pactione vero de cibo praestando inter vectorem et magistrum in singulos menses facta, vector omnino a magistro cibum exigere posset. Neque hoc magis consentaneum est cum eo, quod art. cit. de naulo statuitur, majorem nempe nauli summam a vectore requiri non posse. Quod igitur de cibo praestando in art. 526 Cod. Merc. scriptum est, tanquam temperamentum imaginariae aequitatis habendum est a parte vectoris ratione magistri; ita enim uterque damnum pro parte patitur.

Hic vero quaestio oritur, utrum vector, qui expectare nolit, donec navis refecta sit, integrum naulum solvere debeat, uti in art. 478 principio scriptum est, an partem tantum ratione itineris peracti. Videtur vector hoc casu partem tantum nauli debere ratione cursus maritimi adhuc per-

acti. Nam primo in art. 478 de mercibus navi impositis tantum sermo est, non vero de vectoribus; secundo art. 525, ubi specialiter de vectoribus agitur, tantum statuitur, interrupto itinere, naulum pro rata parte vectori solvendum esse: atqui itineris interruptio est, si navi refectione opus est; et neque in art. 525, neque in art. 526, vector integrum naulum solvere jubetur, si exspectare non vult, dum navis reficiatur. De quaestione proposita eodem modo judicavit Tribunal Roterodamense sententia lata die 22 m. Septembris anno 1847 1).

Vestimenta nautarum et vectorum vestes quotidianae, deinde annona, item belli apparatus ad navem defendendam comparati, in contributionem non veniunt damni nomine, quod ex jactu navis levandae causa facto, existit 2). Consequens est, ut cetera, quae vectores secum habent, puta fasces, sarcinulas, cistas, etiam vestimenta non quotidiana, tributum jactus nomine patiantur. Jure Romano sola cibaria non computantur, omnino vero vectorum vestimenta et sarcinae 3). In legibus Pseudo-Rhodiis

1) *Regtsgel. Bijblad*, d. 10. pag. 45—47.

2) *Cod. Merc. art. 731.*

3) *L. 2. § 2. D. de lege Rhodia de jactu.*

mire statutum est, ut non solum omnes res, verum etiam homines in contributionem revocari debeant 1).

§ 8.

Vectores omnibus magistri jussis parere debent, quae ad disciplinam in navi tuendam pertinent 2). Jure porro communi invaluit, ut, extrema necessitate urgente, magister vectorem auxilio adhibere possit ad navim contra hostes vel praedones defendendam, ideoque etiam a vectore exigere, ut cum nautis maris aquam exantlet. Quin jure Borussico expressis verbis praescribitur, ut vectores pro viribus magistrum in navi tuenda adjuvent 3). Vector magistrum in navi servanda vel defendenda adjuvare nolens, a magistro cogi potest carcere, plane jure Anglico etiam in vincula dari; quod vero ut magistro liceat, casus extremae necessitatis debet esse 4).

1) Ibid. cap. IX.

2) Cod. Merc. art. 528. *Preus. Landr.* 2. 8. § 1762.

3) *Preus. Landr.* 2. 8. § 1763.

4) HOLT. *Shipping and navigation laws of Great-Britain* II. pag. 129. MACCULLOCH, *Dictionary of Commerce*, in voce *Passenger*.

Potestate sua magister abuti non debet ne adversus nautas quidem, multo minus adversus vectores, qui naulum solvunt. Ut MACCULLOCH ¹⁾ refert, necesse non est, ut vectores, imminente periculo, in navi maneant, sed, si occasio est, iis navim relinquere licet, quod ille, in Anglia quandoque iudicatum esse, affirmat. Ex diverso placuit etiam *servatici* premium ad vectorem posse pertinere. Jure Borussico discretis verbis statutum est, ut vector in navi delinquens iisdem poenis afficiatur, quibus nautae, atque ut magister vectorem carceri dare, eumque in portu proximo expositum poenae causa iudici tradere, vel alio certo modo illuc transportare debeat, si navigatione jam incepta, pateat vectorem ante navigationem crimine, laesae majestatis seditionisve teneri ²⁾.

§ 9.

Vector res suas, magistri quidem arbitrato, in sua custodia retinere potest, quo casu magister tantum de damno suo vel nautarum facto rebus vectoris

1) MACCULLOCH ib.

2) *Preus. Landr.* 2. 8. §§ 1764 et 1765.

illato, tenetur. Sed hoc casu damnum, de quo magister tenetur, latiore sensu accipiendum est, ut eo simul intelligatur furtum, perversaque rerum in nave dispositio. Etiam culpam praestare debet, nam vectori, licet actionem de recepto non habeat, nihilominus actio locati, et actio in factum adversus nautas competunt. Quinimo, etsi lex nostra non dicit, vectorum quoque furta praestari oportere, defendimus per L. 1 f. et 3 pr. D. *nautae caupones*. Praeterea vero vector, qui res suas magistri custodiae permittere debuit, ratione illarum rerum eodem jure utitur, quo qui navem vel partem ejus per aversionem conduxerunt, vel singulas res vehendas tradiderunt, etsi illarum rerum nomine nullae litterae recognitionis factae sunt ¹⁾. Cautius tamen aget vector, si suarum rerum, quas magistro custodiendas dederit, aut tales litteras, aut saltem apocham aliquam a magistro impetrare poterit, nam nulla damni resarcitio debetur domino rerum, quae navis levandae causa jactae sunt, quarum litterae recognitionis non sunt factae. Neque est quod dicas, id in

1) Cod. Merc. art. 532. *Preus. Landr.* 2. 8. §§ 1760 et 1761.

more non esse, ac proinde id vectorem non facile impetraturum, ut sibi schedula vel apodisia exhibeatur: nam, si specialiter id postulet, libenter imperiet magister, quod eo casu naulum, etiam schedula exprimendum, percipiet; quodsi illae res servatae sunt, omnino computari debent in contributione ad damnum resarciendum, quod ex jactu factum est, ut supra scripsimus ¹⁾. Vector, cujus res in magistri custodia fuerunt, actionem de recepto habet contra magistrum, ad omne damnum resarciendum, suis rebus illatum, et si quid deperditum erit, modo illud damnum factum non sit vi majori, aut culpa ipsius domini, qui imposuit, aut ipsarum rerum vitio. Debet igitur magister praestare non modo culpam omnem, sed etiam casum ²⁾. Articulus 345 Cod. Merc. duas habet partes, quarum posterior multo latius patet, quam prior; nam priore tantum comprehenditur damnum dolo vel culpa magistri mercibus datum, in posteriore vero amplius totidem verbis exprimitur, magistrum omne damnum praestare ³⁾,

1) Cod. Merc. art. 732.

2) Cod. Merc. art. 345 et L. 3. D. *nautae caupones* etc.

3) »*Hij moet instaan voor alle schade.*»

nisi id damnum vel rei ipsius vitio, vel vi majori, vel culpâ mittentis dominive factum sit. Ex posteriore articuli igitur parte redit, domino mercium contra magistrum navis actionem de recepto competere. In Codice Mercatorio Gallico hoc apertius expressum est, quam in lege nostra, nam in art. 222 illic legitur: »*Il est responsable des marchandises dont il se charge*, et in art. 230: *La responsabilité du capitaine ne cesse, que par la preuve d'obstacles de force majeure.*» Magister igitur omne damnum, mercibus illatum, resarcire debet; qua in re tres tantum exceptiones sunt. Magistrum primo loco non teneri de damno ex ipsius rei vitio interno dato, aequum est, nam vitium est qualitas rei et damnum inde natum utique ad dominum pertinere debet; pro viribus tamen cavere debet magister, ne vitium illud augeatur ¹⁾. Secundo loco, ut innuimus, magister a damno resarciendo liberari, quod vi majori factum est ²⁾. Postremo magistrum damnum resarcire non debere, quod culpa aut negligentia domini, vel amandantis, illatum sit, congruit regulæ juris

1) Cod. Merc. art. 348, art. 346 et art. 351.

2) L. 3. § 1. D. *nautae, caupones* etc.

Romani: »quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire 1).»

Est autem illa actio de recepto jure Romano edicto Praetoris inducta, ut viatores vel vectores, alique ea agere possent contra nautas, caupones vel stabularios ad omne damnum resarciendum, culpa et casu rebus datum, quas semel recepissent. Illa actio nempe multo utilior est actori, quam actio locati vel depositi; nam primo loco, qui actione de recepto vincere vult, tantum factum recipiendi probare debet, quum facto receptionis insit conventio, idque factum fons obligationis sit 2). Contra qui actione locati vincere vult, de culpa probatione disceptationem obire cogitur, eaque probatio, prouti res incidit, ipsum onerare potest. Idem dicendum est in depositi causa de dolo probando vel culpa lata. Secundo loco actione de recepto actor petere potest a magistro, ut etiam damnum resarciat, casu rebus illatum, quod non potest in locati vel depositi actionem venire 3).

1) L. 203. D. *de reg. juris*.

2) L. 1 pr. D. *nautae caupones etc.*

3) L. 1. D. *eadem*.

Minus bene MÜHLENBRUCHIUS 1), MENO PÖHLS 2), aliique contendunt, actione de recepto magistrum, ceterosque non teneri, protestatione rite interposita; quum contra magis dicamus, exercitorem ceterosque frustra praedicere vel protestationem interponere. Qualem opinionem duplici argumento defendi posse credo. Primo loco edicti utilitas omnino periret, si exercitores semper et omni casu seu voce, seu scriptura, praedicere possent. Namque ea lege probabile est fore, ut omnes exercitores protestationem interponerent, ita ut nemo jam amplius eorum esset, qui actione de recepto teneretur, atque omnes eo modo viatoris defraudandi copiam haberent, ut si Praetor nihil edixisset. Secundo loco nullo juris Romani testimonio defendi potest, exercitorem, ceterosque, protestatione interposita, se adversus actionem de recepto defendere posse. Contrarium nostrae opinioni statuentes vulgo citant L. 7. § 1 D. *nautae, caupones*, sed in toto hocce fragmento loquitur ULPIANUS de actione in factum quasi ex delicto, quae poenalis est; non vero de actione de re-

1) *Doctrina Pandect.* 2. § 451 fine.

2) *Seerecht* 1. pag. 371 fine.

cepto, quae rei persecutoria est. Nam aequum est exercitorem adversus poenam sibi cavere posse delicti a se non admissi; idem vero dicendum non est de cautione eiusmodi contra meram rei persecutionem. Neque dicas, conventionem partium legem facere contractui, ut vector vel viator renunciare possit juri pro se introducto: quum actio de recepto publicae utilitatis causa a Praetore inducta sit, ita ut non magis vector vel viator edicto, quam mulier senatusconsulto Vellejano, aut filiusfamilias Macedoniano, renunciare possit. Neque merus contractus est, de quo hic agitur, sed est contractus obligatio, quam jus publicum informavit, cui privata voluntas derogare non potest. Licet magister ipse actione de recepto teneatur, tamen etiam conductor navis actionem habet contra exercitores ad damnum resarciendum, dolo vel culpa magistri mercibus illatum, quo nomine etiam navis atque naulum tenentur, scilicet itineris, quo illud damnum mercibus datum est ¹⁾. Quod non est anomalum, quatenus exercitores magistrum praeposuerunt, id quod apud Romanos non propter solam

1) Cod. Merc. art. 349.

navigationis utilitatem, sed in terrestri praepositione, ut vulgo notum est, perinde servarunt 1). Ceterum art. 349 Cod. Merc. suppleri debet ex alinea art. 345 Cod. Merc., nam in art. 349 cit. tantum sermo est de damno dolo vel culpa magistri dato, quum praeterea secundum alinea art. 345 cit. magister etiam casum praestare debeat.

Praeterea illa actio contra exercitores, de qua agimus, privilegiaria est, salvis tamen novem aliis causis, quae ei praeferuntur 2).

§ 10.

Propter debitum nauli atque cibi magister habet jus retentionis, atque privilegium ratione rerum, quas vector in nave habuit, per art. 533 Cod. Merc. Attamen videtur etiam art. 490 Cod. locus esse, si vector res suas magistro custodiendas dederit; nam vector, qui ita fecit, per omnia assimilatur conductori vel oneratori navis, secundum art. 532 Cod. Merc., ubi hac in re nulla exceptio facta est. Ita

1) Cod. Merc. art. 321.

2) Cod. Merc. art. 313.

secundum art. 490 propter nauli atque cibi nomine debitum prae omnibus ceteris creditoribus, etiamsi privilegium habent, magister hocce privilegio uti potest per viginti tantum dies, postquam res navi exemptae sunt, et ita, si non transierint in possessionem alterius, Habet tunc magister in rem actionem, quae actio limitibus, modo dictis, circumscripta est. Contra extraneos possessores in rem agere non potest, secundum regulam juris Germanici: mobilia non habere sequelam. Utile hocce privilegium est magistro, nam ita praefertur cauponi, si vector, bonis in cauponam illatis, ibi sumptus fecerit. Ceterum non intelliguntur res in possessionem alterius transiisse, si sequestrationi datae sunt ex artt. 486, 487, 489 Cod. Merc.; sed, ut magister hacce actione amplius agere non possit, debet ille possessor sibi possidere, non vero meram custodiam habere; qua de re agit ASSER filius cum sociis ¹⁾).

1) *Wetboek van Koophandel met aantekeningen van ASSER.*

A P P E N D I X.

Migrationes nostro seculo quotidie crescentes cum in patria nostra, tum in Anglia, nuper in foederatis Americae septentrionalis provinciis, legislatores moverunt, ut decreta ferrent iis observanda, qui migrantes transportare suscipiunt. Illa autem decreta specialia quaedam continent, quae spectant ad conditionem et copiam atque universam migrantes transvehendi rationem. Neque illa decreta supervacua habenda sunt, nam migrantium numerus magnus erat et adhuc est, qui magna ex parte pauperes homines sunt, qui parvum tantum naulum solvere possunt; quamobrem saepius evenit, ut prop-

ter magnum migrantium numerum, ab exercitore vel magistro in unam navem coactum, graves morbi in nave orirentur, vel propter navis fragilitatem naufragium fieret, vel ut cibariorum quantitas pro longinquitate itineris non sufficeret. Quibus memoratis, aliisque incommodis, ut obviam iretur, varie et apud nos et apud externos legibus provisum est.

§ 4.

In patria nostra hac de re Decretum regium factum est ¹⁾, quo decreto exercitores, proxenetæ maritimi atque onerarii, qui migrantibus vehendis operam dare volent, id profiteri debent apud delegatos, specialiter huic rei præpositos; nec minus numerum migrantium, quos vel simul vel gregatim transvehere sibi propositum habent, hisce delegatis indicare tenentur. Curam impendere exercitores, aliique debent, ut migrantes, cum ad fines patriæ nostræ venerint, bene ibi recipiantur, ordine per patriam transitum faciant, a finibus usque ad locum ubi navigatio incipere debeat, atque migratoribus eo in-

1) *Staatsblad* aº. 1837. nº. 81.

tervallo omnia necessaria praebeantur. Praeterea eorum est cura, naves habere paratas, omnibusque necessariis instructas, ita ut migrantes statim in navem recipi possint. Quodsi naves nondum ad migrantes recipiendos paratae sunt, exercitor iis habitationem ceteraque necessaria interim praestare tenetur. Si propter naufragium navigatio peragi non potest, sive naufragium factum sit in sinibus vel fretis internis vel in oris maritimis, sive in maribus Europaeis, curare debent exercitores, ut migratoribus perinde habitatio, ceteraque necessaria praestentur, ita ut horum omnium praestatio nunquam reipublicae oneri esse possit. Quamobrem magistro navis satis pecuniae, vel mandata credendi, vel aliter pecuniae quaerendae copia esse debet. Quae omnia supra scripta recto more praestari, exercitores, aliique cavere debent instrumento publico notarii publici.

Nec minus sese obligare debent, ut, conditione existente, singulorum migratorum nomine, quos vehendos suscipiant, solvant summam centum et quinquaginta florenorum, quae publice impendatur ad omne damnum resarciendum, quod vel exercitorum negligentia in iis observandis, quae decreto prae-

scripta sunt, vel ipsorum migratorum culpa secutum sit, quorum profectio ad eos pertinet. Quae obligatio exercitorum, ceterorumque, cautione firmari debet, a duobus vel pluribus idoneis mercatoribus in patria nostra interponenda. Delegatorum praeterea est curare, ut illa cautio duret, quamdiu migrantium sint, qui cursum maritimum nondum eousque peregerint, ut non amplius in maribus Europaeis navigare videantur. Nam, si eousque cursum jam peregerint migrantes, respublica omnidamno resarciendo liberata erit, et tantum manebit vulgaris obligatio exercitoris erga vectores; quamobrem cautio dehinc cessare potest. Qui vectores eousque pervenerint, cum id publice rite constiterit, de numero eorum, quorum itinere tenentur, apud officiales, ad quos ea res lege pertinet, deinde demendi sunt, et exercitorum vel proxenetarum obligatio levabitur.

Praeterea decreto statuitur, ut exercitores, ceterique toties delegatos certiores faciant, quoties migrantes ad fines nostros pervenerint, et ut procuratorem ad fines mittant, qui, auctore publico officiali, curam agat, ut migrantes, omnibus necessariis instructi, ordine viam peragere possint us-

que ad locum, a quo navis solvere debet. Procurator exhibere illi debet apographa authentica utriusque instrumenti, subscriptione delegatorum firmati, nec minus album, nomina migratorum continens, in duplo; neque majorem numerum transvehere exercitoribus licet, quam iis instrumentis comprehensum erit. Officialis alteram albi perscriptionem debet retinere, et subscriptione sua munitam delegatis mittere, quo facto hi denuo album mittere debent magistratui, qui extremae navigationis custodiae praeest, ut, recognitione facta, constet, an revera omnes migrantes, quorum nomina in albo perscripta sunt, in navi adsint; quo facto delegatis illud, subscriptione sua munitum, remittere debet, ut actis eorum insinuetur. Postremo horum delegatorum est cavere, ne major in nave sit numerus migratorum, quam ipsa navis amplitudo continere possit, neque ita plures in navi sint quam quatuor corpora personarum in spatium quinque Neerlandicorum onerum. Duo pueri quindecim annis minores pro una persona computantur. Delegatis etiam cura mandata est, ut quantitas cibariorum sufficiat pro tempore itineris. Tandem etiam decreto requiritur, ut exercitores, ceterique ope suorum procu-

ratorum curent, ut migratores viatoriis titulis (*passpoorten*) instructi sint. Denique a publica auctoritate exercitoribus, eorumque procuratoribus opem quam maximam praestari oportet, ut ordine migrantes per patriam transitum faciant, atque in navem recipiantur, utque eo quam minime migrantibus quidquam impedimento sit, quominus iter recte peragant.

Praeterea curandum est exercitoribus, ceterisque, ut per procuratores suos migrantibus omnia nota fiant, quae eorum gratia legis decreto constituta sunt.

§ 2.

Etiam in Anglia de salute migratorum vel proficiscentium publice provisum est, imprimis lege publica anni 43 GEORGH III regis, cap. 56 1), quo constitutum est, ut magistro vel exercitori navis, qui ex Britannia navem solvere velit, non liceat plures personas in navem recipere quam in spatium binorum onerum dolearium singulos, addito scilicet nautarum numero, et navis tanta habeatur, quantam

1) HOLT. *Shipping and navigation laws of Great-Britain* II. pag. 124—127.

publico tabularum testimonio esse testatum fuerit. Quodsi navis pro parte onerata est mercibus, idem modus servabitur; quo casu merces, custodiendo vectigalium rectore, in navem ita imponi debent, ut bonum ac commodum spatium proficiscentibus, vectoribusve supersit. Quodsi magister vel exercitor majorem numerum personarum in navem recepit, quam lege pro amplitudine navis definitum sit, condemnari debet mulctae librarum quinquaginta in singulos, qui numerum excesserint. Deinde ipsa navis eo casu a magistratu, quem diximus, detineri debet, donec mulcta soluta vel de ejus solutione a magistro vel exercitore poena promissa sit. Etiam requiritur, ut in nave certa quantitas cibariorum, lege definita, adsit; ex qua magister quotidie unicuique certas portiones porrigere debet; quodsi hoc omittit, uniuscujusque omissionis nomine mulcta viginti librarum sancita est; si vero legitima quantitas navi imposita non est, mulctam exercitores solvere tenentur quinquaginta librarum in singulos, quibus quantitas cibariorum non sufficiat. Item magister solvendi veniam petere non poterit, nisi dederit vectigalium praeposito indicem navigantium, quo, praeter nautas, nomina vectorum inscripta sint,

quos in navem recepit vel recipiet, in quo mentio fieri debet aetatis et sexus, additis quoque conditionibus, quibus in navem recepti vel recipiendi sunt, et ubinam in terram exponi velint. Qualis index accurate scriptus esse debet, nam si non omnium nomina continet, vel alio modo perperam factum est, cujusque nominis omissi vel falso relati causa, quinquaginta librarum mulctam solvere tenetur. Praeterea etiam nonnulla salubritatis causa constituta sunt, v. c. chirurgum vel medicum ac medicamentariam officinam requiri, si navis quinquaginta vel plures personas contineat, aliaque. Quae si omiserit magister, singularum omissionum causa mulcta viginti librarum sancita est.

Deinde magister diurnum, de salute cujusque et de morte vectorum confectum, tradere debet portus collectori, in quam navis redire debet. Tandem de peregrinis navibus cautum est, ut non plures quam in quinque dolia singuli recipiantur, sub poena quinquaginta librarum; cujus poena altera pars Regi, altera vero collectori, aliive magistratui cedit, qui decreti transgressionem detulerit. Navium bellicarum ducibus mandatum est, navim retinere et inquirere, utrum nihil adversus ea factum

sit, quae de numero personarum et cibariorum penu constituta sunt; nec minus, ubi contra factum erit, vel navem retinere possunt, donec mulcta solvatur; vel navem in locum, ubi navigatio coepta est, aut, pro re nata, in quemlibet alium locum remittere possunt. Item pro singulis vectoribus poena viginti librarum promitti debet ab exercitoribus, navem ad navigationem perficiendam adhuc validam esse et unumquemque in terram expositum iri, ubi convenerit.

Porro lege anni 9. GEORGII IV cap. 21 ¹⁾ quaedam propria continentur, eorum causa constituta, qui Anglorum loca Americana petunt. Eo decreto statuitur, ut tantum tres personae pro quaternis doliis in navem recipi possint; neque licet magistro merces sub foris navis imponere, quae jam contineat legitimum numerum. Nec minus, uti supra, magister tenetur collectori dare indicem, quo nomina, aliaque vectorum inscripta sunt. Magister, qui vectorem in alium locum, quam ubi convenerat, exposuit, poenam committit viginti librarum. Denique contra unumquemque magistrum poenae per-

1) MACCULLOCH, *Dictionary of Commerce*, in voce *Passenger*.

secutio institui debet, qui vel majorem numerum vectorum, quam lege definitum, in navem recepit, vel lege requisita cibariorum quantitate navem munitam esse, non curavit, vel qui contra legis praecepta sub foris navis merces imposuit, vel falsum collectori navigantium indicem dederit. Poenam mille librarum promittere debet magister cujusque navis, qui navigationem in Anglorum loca Americana suscipiat, navem ad navigationem perficiendam validam esse, atque omnia hujus decreti praecepta observata esse.

§ 3.

Lege Anglica cum nostra lege comparata, perspicuum est, ut in illa magis ipsorum migratorum commodi ratio habeatur, in hacce vero publica utilitas legislatori maxime obversata sit. Nam primo loco lege Anglica nil statuitur de migratorum transitu vel itinere per Angliam faciendo, antequam in navem recepti sint; ex diverso nostra lege nonnulla de ea re praescribuntur, quibus legislator sibi propositum habuisse videtur, ne migrantes, pauperiores plerumque homines, in nostra patria diutius

morarentur, quo facto paupertas eorum continuo cresceret. Secundo loco lege Anglica mulctae mere poenales sancitae sunt, v. c. si magister migratores ultra numerum definitum in navem recepit; nostra lege exercitor tantum singulorum migratorum nomine in futurum eventum centum et quinquaginta florenos solvere debet, ut ex ea summa omne damnum publice refarciatur, quod vel ex ipsorum migratorum factis, vel exercitorum negligentia exstiterit. Praeterea lege nostra publicae utilitatis praecipue rationem haberi ex eo patet, quod cautio, qua haecce obligatio exercitoris firmatur, cessat, cum primum navis, migratores continens, in maribus Europaeis navigare desinit, qua re respublica omni continuo damni praestatione liberatur. Aliter lege Anglica, qua cautio non tollitur, nisi navigatione plene peracta. Tertio loco cibarium quantitas, quae in navi esse debet, lege Anglica multo accuratius definita est, quam nostra lege, qua generaliter scriptum est, ut ea sufficere debeat.

Praeterea lege Anglica multa utilia sanitatis causa statuuntur, v. c. medicum et medicamentariam officinam requiri, si navi quinquaginta vel plures personae contineantur; quorum nihil in lege nostra.

Omnis hujus differentiae ratio forsitan est, quod lege Anglica magis subditorum migrantium commodum spectatur, quorum in nostra lege nulla mentio fit. Accedit, quod maturius necessitatem his rebus providendi experti sunt. Porro lege nostra curare debent delegati, specialiter nominati, ne contra legem fiat; lege Anglica vero ordinariis magistratibus (*collector, comptroller, vel officer of the customs*) haecce cura mandata est. Denique apud nos navium bellicarum praefecti navem sistendi et inquirendi facultatem non habent, uti in Anglia. Item exercitores lege Anglica non tenentur de factis migratorum, uti legis nostrae art. 3.

§ 4.

Procul dubio humanitatis studium in omnibus hisce legibus cernitur valde laudabile; sed dolendum est, finem propositum parum obtineri: nam, praeterquam quod difficillimum sit efficere, ut justa quantitas cibariorum navigantibus quotidie dispensetur, de qua re jure et judicio agere, suasque querelas movere miseri illi non possunt, usus proximorum annorum satis docuit, quam vana sit ple-

rumque illa humana providentia. Est enim in diariis assidua mentio cujuslibet cum pravitate tum calamitatis, quae per exercitorum avaritiam, magistri imperitiam, nautarum paucitatem, vel navis vetustatem, aliaque omnino graviora, navigationem infamare solent. De lege nostra addi potest, si exercitor delegatis non denuntiat, se migrantes transvecturum esse, facile fieri posse, ut illa transvectio tamen fiat, omnibus legis praeceptis insuper habitis.

T H E S E S.

I.

Ex conventionē de re futura obliganda talis res ante acquisitionem obligata non est.

II.

Tacitam hypothecam ex D. Marci Senatusconsulto non habet, qui ad reficiendas aedes credit.

III.

Justa causa, ex qua traditio dominium transfert, non est mera voluntas alienandi, qualicumque negotio declarata.

IV.

Legem Gallicam de usuris, a^o. 1807 scriptam, lege abrogatoria d XVI Maji anni 1829 non esse abrogatam statuo.

V.

Peregrinus in patria nostra legibus Neerlandicis tantum regitur, quoad statuta realia, non quoad personalia.

VI.

Propter sententiam famosam, a iudice peregrino latam, divortium peti non potest.

VII.

Debitor forocedens amittit administrationem rerum suarum jam ab initio forocessionis secundum art. 769, nec obstat art. 770 C. M.

VIII.

Moratorium peti potest, etsi debitor jam ad solvendum interpellatus est.

IX.

Mercator, qui a iudice iudicium decoctionis petiit, ante rem iudicatam poenitentia actus recedere potest.

X.

In art. 774 C. M. spectatur tempus, quo de hypotheca convenit, non inscriptionis.

XI.

Adsentior Doct. Chauveau et Helie (Theorie du Code Penal, Tom. II. pag. 75 n°. 2438) dicentibus: En résumé la loi n'a point prévu l'homicide commis par l'ordre de la victime. Igitur poena ordinaria in eum qui factum, quod delictum sui generis constituit, admisit, applicari non debet.

XII.

Laudandus est legislator noster, quod art. 304 C. P. nimiam severitatem mitigavit.

XIII.

Apertura et jus aperturae toto coelo differunt.

XIV.

Jus civitatis minus plenum, termino fatali elapso, de quo cavebat lex fundamentalis anterior in art. 10, recte a rege concedebatur.

